

I. N. 7!  
DISSERTATIO EXEGETICA,  
DE  
**VERE RELIGIOSI**  
**ADORATORIS SPIRITU**  
**ET VERITATE,**

*Ad Job. IV. 24.*

Quam

PRÆSIDE

DN. PHILIPPO LUDOVICO  
HANNEKENIO,

S. S. Theol. Doct. Ejusdemque Profess. Publ.  
& Consistorii Electoralis Assessore,

*Dn. Patrono & Præceptore, pio mentis amorisque cultu  
æternum prosequendo,*

Die II. April. Ao. M DCC V.

IN AUDITORIO MAJORI

Publice defendere conabitur

**BALTHASAR HENRICUS de PLATEN,**  
Eques in Rugis. S. S. literarum Cultor.

WITTEMBERGÆ, Typis GERDESIANIS.

Coll. diss. A  
175, 10

175. A. 175(10)



## INTROITUS.

**M**irabile videri potest pio pectori, quod Paulus *Rom. VIII. 26.* dicit: Nos ignorare, quid, & quomodo orare debeamus, cum Salvator noster in dicto nostro, quod bono cum Deo explicandum suscepimus, expresse doceat, quid & quomodo orare debeamus, velitque nos ita orare, quemadmodum diferte nos in verbo suo revelato instruxit. Quid igitur dicendum? Anne Apostolus Paulus hæc omnia ignoravit? Minime vero. Quomodo enim Viro huic Θεοπνεύτω, qui in tertium cælum raptus inenarrabilia verba audivit, *2. Cor. XII. 4.* quique gravissima & præcipua doctrinæ cælestis capita nobis in Epistolis suis revelavit, hæc incognita esse potuerunt? Igiturne, qui Atheniensibus, ignotum Deum colentibus, verum adorandum Deum prædicaverat, *Actor. XVII. 23. seqq.* ipse veræ adorationis objectum & modum ignoraret? Gentilibus hanc ignorantiam relinquimus, qui horrenda cæcitate perculsi, ex suggestione Diaboli, veræ adorationis gloriam Deo invidentis, Deum, ex revelatione naturali ipsis cognitum, non ut Deum glorificaverunt, sed veritate in injustitia detenta, gloriam æterni Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium, commutarunt, creaturamque magis coluerunt quam ipsum Creatorem; *Rom. I. 19. seqq.* Nos ex salutari revelatione cum Apostolo Paulo meliora edocti, quid & quomodo orare debeamus, non ignoramus. Et omnino Paulus hæc omnia non ignorasse censendus est, qui in supplementum precationis nostræ Spiritum S. adesse dicit, qui nostris infirmitatibus opituletur. Quibus

verbis fatis clare docet, omnino nobis opus esse Spiritu S. in devotione orationis, non quod ignoremus, quem secundum veritatis revelationem adorare debeamus, sed quod imbecillitas nostra & ignorantia nobis identidem aliquid proponat a Deo obtinendum, quod ipsi aliter videtur, & nobis non est futurum fructuosum. Ideo Spiritus S. ignorantiae nostrae & indigentiae in auxilium subvenit, adeo, ut ipsi ignorantes & indigentes ab ipso Spiritu Dei indicibili modo sublevemur, dum interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nil igitur habet Paulus Salvatoris informationi adversum, sed omnino ipsi est conformis, quando Veteris Testamenti umbratiles ceremonias a veritate N.T. distinguit, quod omnino in suis Epistolis facit, & Spiritum Dei in nobis docet operari, quid & quomodo orare debeamus juxta verba Salvatoris *Job. IV. 24*. In quo illustri dicto solidissimum est verae adorationis fundamentum, multaque certe ad verae pietatis praxin facientia nobis proponuntur, quae post imploratum Spiritus S. auxilium, quod gratiose nobis largiri velit, ad animae nostrae informationem & pietatis praxin pie pro virili declarabimus. Ne tamen *ἀμεθόδως* procedere videamur, quatuor Dissertationis nostrae constituemus Capita; quorum

- I. Circa nexum textualem praecipuarumque vocum enucleationem;
- II. Circa Doctrinarum in Textu contentarum considerationem;
- III. Circa adversariorum refutationem;
- IV. Circa Praxin occupabitur.

Antequam autem ad ipsam Tractationem accedamus, Textum cum versionibus quibusdam primariis exhibebimus.

Tex-

# Textus Originalis.

*Job. IV, 24.*

Πνεῦμα ὁ Θεός. καὶ τὰς προσκυνῶντας αὐ-  
τὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.

*Versio Vulgata.*

DEUS est Spiritus : & eos, qui adorant eum, in  
Spiritu & veritate oportet adorare.

*Versio B. Lutheri.*

GOTT ist ein Geist / und die ihn anbeten/  
müssen ihn im Geist und in der Wahrheit anbeten.

## CAPUT I.

Nexum textualem & præcipuarum  
vorum explicationem tradens.

§. I.

**H**Aud ita pridem dulcissimus Salvator noster a  
Johanne baptizatus, *Matth. III. 13.* sacras mini-  
sterii sui functiones obire cæperat *Cap. IV. 17.* &  
post editum primum Canæ in Galilæa miracu-  
lum *Job. II. 11.* Hierosolymis primum Pascha celebraverat,  
*Cap. II. 13.* cum, relicta iterum ob Phariseos Judæa, in Gali-  
læam tenderet. *Cap. IV. 13.* In quo itinere cum transeundum  
ipsi esset per Samariam, in urbem aliquam Sichar di-  
ctam, advenit, ibique fatigatus itinere fonti cuidam infi-  
dens, cum muliere Samaritana, quæ ad hauriendas a-  
guas accesserat, colloquium instituit; *v. 7. seqq.* Et hoc  
colloquium illud est insigne, quod prolatae informationi  
de adoratione vera occasionem dedit. Petierat enim

A 3

Chri-

Christus potum aquæ ab hac muliere, quæ mirata se a  
Judæo ob potum compellari, (Judæis siquidem cum Sa-  
maritanis nihil erat commercii) responsum accipit:  
*v. 10. Si scires donum Dei, & illum qui dicit tibi, da mihi po-  
tum, tu utique petiisses illum, & dedisset tibi aquam vivam. Et  
v. 14. Omnis bibens ex aqua hac, sitiet iterum. Qui autem  
biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum,  
sed aqua, quam dabo ei, fiet in ipso fons aquæ salientis  
in vitam æternam. Ubi regerit mulier: Domine, da mi-  
hi aquam illam, ne cogar huc venire ad fontem & haurire.  
Ad quæ verba Jesus tacet; hæc tantum regerens: Abi  
& voca maritum tuum & veni; quasi vellet dicere: aquam  
illam vivam, quam ego dabo tibi, nondum potes sitire,  
necessaria enim est tibi alia informatio. Qua occasione  
cum Servator illi suam omniscientiam explicuisset, qua  
dicebat, sibi bene esse cognitum, quod maritum jam  
non habeat, habuisse autem quinque antea: ibi mulier  
excitata animadvertens hunc esse Prophetam, de re gra-  
vioris momenti, scilicet de religione veræque adorationis  
cultu cum Christo disquisitionem instituit, dicens: *vi-  
de, te esse Prophetam; Patres nostri in monte hoc adorarunt,  
& vos dicitis, quod Hierosolymis sit locus, ubi oporteat ado-  
rare. Cui Servator, ipsius & concivium ejus salutis  
cupidus, respondet: v. 21. 22. 23. 24. Mulier, crede mihi,  
venit hora, quod neque in monte hoc neque Hierosolymis ado-  
rabitur Pater. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus  
quod scimus: quia salus ex Judæis est. Sed venit hora &  
nunc est, quod veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu  
& veritate: nam Pater & tales querit, qui adorent eum. Deus  
est Spiritus: & adorantes eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.**

§. II.

Ex quibus liquido apparet, scopum Salvatoris, salutem Samaritanorum anxie quærentis, hunc fuisse, ut illis vere religiosæ adorationis cultum modumque ostenderet: Hactenus enim nec Samaritani, nec Judæi Deum adoraverant, ut volebat adorari. Samaritani siquidem idololatriæ prorsus cultu in monte Garizim utebantur; postquam enim illos Assyriæ Rex ex variorum colonorum, scil. Babyloniorum, Chutæorum, Chavæorum & Sepharvinitarum sedibus collegerat, & in vacuas Samariæ possessiones, ex quibus Israelitæ omnes erant abducti, transvexerat, tunc gentilia singuli sacra primo habebant; cum vero eam ob rem a Deo puniti multis malis fatigarentur, obtinebant demum a Rege sacerdotem Israeliticum, qui in ea loca profectus patria eos edoceret sacra; sed cum fixa maneret in animis ipsorum gentilis superstitionis, fæda hinc enata est cultus Divini cum idolorum veneratione permistio, ut & verum Deum falsosque quam plurimos adorarent, uti hæc narrantur *2. Reg. XVII. 23. seqq.* Judæorum religionem quod attinet, illa tempore Christi erat corruptissima, & multis traditionum sordibus, quas Judæorum magistri ceu sancta quædam mysteria invexerant, fœdissime inquinata; nam post Prophetarum excessum & concilium Ecclesiasticum ab Esdra institutum in deterius vergere omnia cœperant, cum omnis generis errores, sectæ & hæreses agmine quasi facto proruperint. Cujus mali causa erant traditiones, Cabbalæ nomine insignitæ, quas veluti legem oralem, (ut perhibent Judæi) a Deo Mosi concreditas, & continua serie ad Synagogam magnam propagatas, Legi Divinæ scriptæ adjunxerant. His ipsis traditionibus Judæi nimis adhærentes, ex neglectu usitatæ apud Patriarchas invocationis, amiserant iterum  
Spi-

Spiritum & veritatem. Servator igitur diserte dicit: Nec Hierosolymis, nec in hoc monte Deus vere adoratur, quia non adoratur in Spiritu. *Veri enim adoratores Deum Patrem adorant in Spiritu & veritate.*

§. III.

Sic cum de scopo nexuque textuali fatis constet, ad præcipuarum vocum explicationem progredimur. Cum itaque Dissertationis nostræ titulus sit: *De vere religiosi adoratoris Spiritu & veritate*, intelligimus religiosum adoratorem vere talem, qui Deum non aliter & quidem Deum Patrem adorat, quam in Spiritu & veritate. Certe vere religiosus adorator est is, qui notitiam habet adorandi Dei in Spiritu & veritate.

§. IV.

*Spiritus* vocem in scripturis varie sumi fatis constat: vid. ex nostris *Flacii clavis Scriptura*, & ex Criticis Reformationum Clariss. Gatakerus *Dissert. de stylo N. T. Cap. V. p. 36.* qui post prolixam Spiritus explicationem ex S. literis traditam tandem ita subinfert: *In illis locis τὸ πνεῦμα nunc Numen ipsum; nunc in Numine tertiam, quam dicimus, hypostasin; nunc angelos; nunc demones; nunc animam humanam; nunc in anima τὸ ἡγνημονικόν, mentem; nunc partem animi regenitam; nunc sanctificationis donum; nunc dotes quasdam peculiare; nunc animæ dispositionem quamlibet designat, quæ scriptoribus exoticis peregrina revera & extranea sunt.* Ex vario illo significato nostro loco hic est eligendus, quo Spiritus vocatur *interna mentis fidelisque devotio.* Spiritum S. in nobis habemus auctorem; ubi libenter audimus B. *Ægid. Hunnium* nostrum Comment. ad hunc locum: *Orationi locus externus nil quicquam vel addet vel detrabet, cum verum propitiatorium N. T. non sit uni alicui certo loco alligandum, sed ad dextram Patris exaltandum, ut quovis in loco ad propitiatorium illud Pa-*  
*ter*



ter invocari a suis cultoribus possit, nullo respectu habito circumstantiarum (quæ scil. in V. T. cultum publicum occupabant) modo ex Spiritu & veritate proficiatur oratio, h. e. serio & ex corde fiat, ut & Spiritus S. qui Spiritus gratia & precum est, Zach. XII. preces illas excitet, & simul Spiritum sive mentem adorantium ad seriam invocationem inflammet. Tales enim poscit adoratores Deus, qui in Spiritu & veritate & ex sincero cordis affectu juxta Dei præscriptum orant. Etenim cum Deus ipse Spiritus sit, sive spiritualis essentia, ideo suæ nature convenientem cultum requirit. Cui conformes sunt nostri Theologi passim.

§. V.

Differentia nobis hic est observanda inter Spiritum, quo adorat fidelis, & inter Spiritum, qui Deus est. Licet enim ex Dei Spiritu adoremus, qui apud Paulum nostræ imbecillitati subvenire dicitur, & ipse in fidelibus suis clamitet: *Abba Pater*; tamen Spiritus ipsius adorantis a Spiritu S. auctore precum & motore omnis bonæ voluntatis & internæ in nobis actionis debet distingvi. Spiritus adeo intra nos quo adoramus, est fidelis illa devotio mentis, in Dei venerationem auxiliumque intenta, insuper habita omni adversitate & defectu, qui in actu precationis nos urgere solet, quandoquidem ex motione Spiritus S. orantes & ipsius adspiratione & nostris suspiriis omnem elidimus defectum. Id quod credendum nobis est pie juxta superius alleg. Pauli dictum, cum devotionem nostram & Spiritum imprimis in nobis agentem non sentiamus; neque enim phantasia evanida nostræ constant preces, quæ Enthusiastarum est devotio, sed intellectu Spiritus & veritate.

§. VI.

Pater adorandus est in Spiritu, quia Deus est Spiritus, qui non potest nisi competente sibi actione spiri-  
B tuali

tuali adorari. Cur autem Servator Patrem pro Deo hic ponat, qui Deus est cum Filio & Spiritu S. id inferius explicabimus. Hic sufficit nobis, Patrem, qui Deus est, esse invocandum, quem ipse Filius in diebus carnis suæ semper ut Deum suum invocavit. Removemus hic, quæ ab Adversariis contra Divinitatem Filii Dei & eventam ad Majestatem Dei carnem Christi impie disputantur, inferius etiam discutienda.

§. VII.

*In veritate* merito dicitur adorandus Pater, quia veritas adorationis consistit in merito Filii Dei, quo filiationem a Patre habemus. Adoramus igitur ex percepta veritate Deum Patrem per Filium, & ita vere spiritualiter, quandoquidem hic nil est nisi Spiritus. Alias communiter Doctores Spiritum opponunt externis V.T. ceremoniis, & veritatem umbris; quam distinctionem dubio procul etiam Servator respexit, propter interventum Judæorum, ceu umbratilis populi, qui ut rudis debebat externis ceremoniis erudiri, usque dum appeteret tempus correctionis, quod erat dati in carnem Filii Dei, quo ceremoniæ & umbræ V. T. cessaverunt. *Hebr. IX. 10.* Verum cum Servator maxime respiciat methodum spirituales, jam ab initio mundi in adoratoribus suis comprobata, per ceremonias autem & inanes Veterum traditiones abrogata, ideo hic maxime eam voluit reductam & declarata; ut adeo a veritate Messiaæ arcescendus sit in nobis Spiritus, quo fiamus vere religiosi & Patri cœlesti placentes adoratores. Porro veritas non opponitur tantum umbris, sed etiam ipsi mendacio & falsæ doctrinæ, quæ nos a Spiritu adorationis alienant, uti patet in omni doctrina hæretica, ex qua, ut tali, nunquam nascetur in nobis Spiritus filiationis.

§. VIII.

§. VIII.

Ideo Adversarii nonnulli ut *Marloratus* in h. l. mendacium hic volunt exclusum, metu forsan conscientiae, ne falsis Doctoribus denegetur Spiritus veræ adorationis, quales sunt Reformati illi cum aliis.

CAPUT II.

Sistens doctrinas in textu contentas.

§. I.

**M**agnæ hic nobis & ad solidam pietatis praxin utiles ac necessariae doctrinae proponuntur. Primo docetur *Deus esse Spiritus*; quamvis enim nonnulli hic Spiritus vocem subjectum prædicationis esse velint, quod ex aliis Scripturæ locis verissimum est, hoc tamen loco subjectum est Deus, (quemadmodum *Job. I. 1.* nomen θεός λόγῳ tributum subit locum prædicati) de cuius convenienti cultu hoc est argumentum, quod spiritualis debeat omnino esse, quia Deus fit Spiritus. Quid enim de Spiritu potest rite cogitari, nisi spirituale quid sit? Quomodo poterit adorari vere Spiritus, nisi Spiritus agnitione? Spiritum autem esse est, nil habere corporei, quemadmodum Spiritus in S. literis is docetur esse, qui nil est nisi Spiritus, i. e. nil prorsus habet corporeum. Quod præsertim intelligendum est de Spiritu increato, qui uti nil participat de creatura, ut fit subtilissimus Spiritus, ita nil potest habere commune cum corpore; Deus enim cum dicitur Spiritus, intelligitur supra omnem creaturam eVectus esse infinitus & immensus creator.

§. II.

Invocamus igitur Spiritum infinitum & immensum, & ob istam sublimitatem devotionis vere invenimur

religiosi adoratores. Cœterum Spiritus adorandus vult  
sui in nobis notitiam habere & rationem veri cultus.  
Proinde jam quæritur: Quomodo Deus adorandus fit  
ut Pater; nisi enim ut Pater adoretur, juxta circumstan-  
tias hujus textus non vere adoratur. Servator quippe  
noster expresse hic docet, Patrem esse adorandum eum-  
que suum Patrem, qui sine dubio est Pater æterni Filii,  
diserto discrimine a Filio & Spiritu S. distinctus. At ve-  
ro cum dicitur adorandus esse Deus Pater, annon per  
nomen Patris explicanda est tota SS. Trinitas, ut adeo  
Pater noster dicantur tres personæ secundum unius es-  
sentiæ rationem? Respondemus *primo*: quando de toto  
objecto adorationis agitur, tunc tota SS. Trinitas est Pa-  
ter noster ex creatione & gubernatione. Ita hoc loco  
de toto finu Divinitatis loquendo Patris nomen essentia-  
liter potest sumi; & tum valet B. *Æg. Hunnii* observatio,  
*quod Patris nomen diserte usurpetur propter principatum ori-  
ginis, cæteræ autem personæ ab objecto adorationis non exclu-  
dantur.* Sed Respondemus *secundo*: nomen Patris non  
tantum ex principatu originis ita considerari, sed etiam  
ex fundamento filiationis nostræ, quam habemus per  
meritum & intercessionem Filii Dei apud Patrem cœle-  
stem, qui est æternus æterni Filii Pater, & nunc Pater  
noster adorandus per Filium, quemadmodum cæteræ  
personæ non adorantur a nobis. Ita manet œconomia  
S. personarum accurate distincta, & nos fide infallibili  
tenemus, cur adoranda sit nobis prima SS. Trinitatis  
persona ut noster Pater. Ita & orationem Dominicam  
hoc sensu possumus in denominatione Patris solius recte  
usurpare, cum alias etiam recte usurpetur de toto finu  
S. personarum, uti communiter in Instit. Catecheticis  
docetur. Ad *Eph. I. 17.* dicitur: *Deus Domini nostri Jesu  
Christi & Pater gloria*; is a nobis compellatur in Spiri-  
tu,

tu, qui est gloriæ Pater, & a quo jus filiationis & æternæ hæreditatis per filium ut cohæredes ejus obtinemus.

§. III.

Perspiciuum inde est, quomodo Filius Dei adoraverit etiam Patrem suum in Spiritu & veritate. Neque adorationis modum, quem nobis hic præscribit, a se vult esse alienum, ac si ipse Patrem non adoraret, quem certe in diebus carnis suæ frequentissime adoravit, dum ex officio Sacerdotali meritoque sui sacrificii pro omni homine peccatore ardentè intercessit; sed voluit hac informatione nos in suum deducere exemplum, ut disceremus Patrem vere in Spiritu adorare. Interea manet in actu adorationis Filii Dei *primo* discrimen inter humanitatem & Divinitatem; nam humanitas precibus indiget, non Divinitas; *secundo* manet discrimen inter exinanitionem & exaltationem Christi, quando in diebus carnis suæ ita precatus est Patrem, ut merito status servilis voluerit Patrem flectere, uti in exaltatione pro nobis precatur Sacerdotii æterni sublimitate; *tertio* manent hic salvæ Theologorum explicationes, quæ pertinent ad explicandum unionis personalis mysterium, ne solam hic in precibus Christi occupatam fuisse credamus humanitatem, cum in operibus officii utraque natura egerit cum communicatione alterius, & preces Christi fuerint Θεανθρώπων, valore precum ex Divinitate veniente, Divina autem natura sibi appropriante, quæ humanitas agebat.

§. IV.

Videmus identidem, Christum adoravisse Patrem sublatis in cœlum oculis & manibus, quod veri adoratores imitantur non tam gestu externo, quam elevatione mentis supra omnem creaturam, & consideratione admirandi opificis in conspectu excellentissimi cœlorum

operis. Ita enim sublimatur Spiritus & quasi in conspectum ascendit incomprehensibilis Majestatis adorandæ. Et hoc Salvator voluit externo illo gestu docere. Alias enim sciebat, Patrem suum ubique præsentissimum & in interiora cordis conspicientem externa illa non requirere, nisi in significatione elevandæ mentis ad Deum.

§. V.

Quod Spiritus & veritas hic conjunguntur, nonnulli Doctores explicant per *ἐν δία δύοιν*; ita adoraremus per Spiritum veritatis & per veritatem Spiritus. Sed Servator distingvit Spiritum a veritate, & videmur moneri, Spiritum a veritate ortum in nobis adorare Patrem, ut adeo verbum veritatis a Spiritu S. doctum in nobis excitet mentem & largiatur motiones spirituales, per quas clamamus: *Abba Pater cælestis*. Sic in Spiritu adorare est a Spiritu S. actos nos per verbum Evangelii & gratiæ obtinere Spiritum filiationis, quo preces nostræ vere fiunt spirituales. Veritas revelata Evangelica ubique in Scripturis veræ pietatis praxi præmittitur, ut maxime docuit Paulus in Epistolis ad Tim. & Tit. quibus Episcopum Ecclesiæ primo instructum esse vult doctrina sana, deinde in pietatis operibus populo prælucere. Igitur omnino in cultu publico & orationibus veritas & Spiritus conjunguntur.

§. VI.

Nisi a filiis Dei proficiscantur preces, Deo non placent. Necessarium ergo est, nos esse in statu filiationis per fidem in Jesum Christum, cujus jure & merito ad thronum gratiæ cum confidentia accedimus. *Hebr. IV. 16.* Ea etiam confidentia fideles V. T. accesserunt orationibus suis ad propitiatorium, in qua figura Messiam venerabantur, in futuro ejus merito exauditionis gratiam præstolantes. Salvabantur certe fide  
in

in Christum, seu in semen promissum mulieris, quem ad modum salvantur hodie omnes Christiani, cum distinctio-  
ne objecti adorandi, quod apud Veteres erat λόγος ἄσαρκος, in umbris figurisque delitescens ratione futuræ redem-  
tionis; apud Christianos autem est ἑνσαρκος, in ὁμολογημέ-  
ως magno mysterio ipso suo corpore nunc manifestatus  
1. Tim. III. v. ult. Ita Christus cum sua humanitate venit in  
objectum spiritualis adorationis, quem omnes Angeli &  
creatura; omnis in cælo & in terra ut verum Deum de-  
votissime adorant. Hebr. I. 6. & Col. I. 16. Quam hic laban-  
tur suis erroribus Spiritum quidem & veritatem in ore  
habentes, sed in Spiritu & veritate propter errores mentis  
adorare haud valentes *Cap. seq. videbimus.*

§. VII.

Paulus Rom. VIII. 15. docet, non accepisse suos Auditores  
iterum Spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis, per quem  
ut filii sine timore orent. Quæri hic solet inter Theologos:  
an in V. T. Spiritus S. per legem Spiritum servitutis in homini-  
bus sit operatus, cum a Paulo loc. cit. Spiritus S. ipse videatur  
intelligi esse Spiritus servitutis ob terrores per legem peccato-  
ribus incussos? Respondemus: nusquam in Scriptura Spi-  
ritum S. vocari Spiritum servitutis, nec id a Paulo existi-  
mamus dici, qui correctam cupit in suis Auditoribus il-  
lam ex legis adactione incussam formidinem, quam Spi-  
ritus S. legem prædicans non intendebat, sed ea erat ef-  
fectus fulminantis legis in mala conscientia peccatoris,  
existimantis, se territa sua obedientia posse legi satisfacere;  
cum Spiritus S. legem docens non terreat homines,  
ut velint eam adimplere, sed adigat eos ad quærendam  
gratiam in promisso & exhibito Messia. Quomodo igitur  
ab hoc effectu Spiritus S. potest audire Spiritus ser-  
vitutis? quinimo, ut tetigimus antea, fideles adorabant  
Deum fiducia meriti Christi filiali voluntate, citra legis ad-  
ad-

adactionem, quæ est libertas Spiritus in actionibus filiorum Dei *Rom. VIII. & Gal. IV.*

§. VIII.

In conjunctione Spiritus & veritatis pariter patefit, Enthusiasticam non esse precationem nostram, quæ est ludibrium Spiritus absque veritate, quicquid sentiatur a Fanaticis, qui Spiritum somniant absque verbo, ubi audiendi sunt *Art. Smalc. P. III. art. 8. de Confess.* ubi ita loquuntur Confessores: *Enthusiasmus inditus est Adamo & filiis ejus a primo lapsu usque ad finem mundi, ab antiquo dracone ipsis veneno quodam implantatus & infusus, estque omnium heresum, & Papatus & Mahometismi origo, vis, vita & potentia. Quare in hoc nobis est constanter perseverandum, quod Deus non velit nobiscum aliter agere nisi per vocale verbum & Sacramenta, & quod quicquid sine verbo & Sacramentis jactatur, ut Spiritus, sit ipse diabolus.* *Conf. ad h. l. B. D. Alberti Cel. Lips. Theolog. in Aug. Conf. pag. 553.* Quæ bene observanda sunt, ne, dum in Spiritu volumus adorare, oremus absque verbo & veritate.

§. IX.

Distinguit Servator V.T. a Novo in modo adorationis, ut supra indicavimus. Nam Christus etiam *Job. XVI. 24.* ad discipulos loquens in suo nomine hætenus eos nihil oravisse indicat; intelligens se in carne nondum manifestatum directum ejusmodi mandatum non dedisse de adorando Patre in suo nomine; arguit tamen simul insignem in Apostolis fidei imbecillitatem, quæ nunc diserta in ejus humanitatem fide & omnipotentia ejus & καρδιγνωσία debebat corrigi. Ita enim in V. T. adoratio Dei non expediebatur. Adorabant tamen & in Spiritu & in veritate pii veteres, quamvis ita disertam non haberent, ut habebant fideles N. T. promissionem.

§. X.



§. X.  
Jam habuimus, quæ causa fit, cur Salvator Patrem suum nominando, velit in Spiritu & veritate adorari. Manet nihilominus verissimum, totam SS. Trinitatem non solum, sed etiam singulas personas ejus ita esse adorandas; existimamus tamen hic, tenendum esse, quamvis invocata una persona, cæteræ intelligantur, tamen etiam singulas personas ratione susceptorum in SS. Trinitate divisorum officiorum distincte in suis officiis invocari; ubi semper observanda est regula Athanasii in Symbolo: *non confundentes personas neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris &c.* Confusione enim personarum tollitur fundamentum ipsum, aut saltem admodum vellicatur veritatis & Spiritus; quod non videntur satis observare, qui methodum nostræ Litanie publicæ impugnant, eo argumento, quod seorsim Patrem, seorsim Filium, seorsim Spiritum S. sub uno momento compellemus, cum certe singulæ personæ distinctione sua personali & officiali rectissime compellentur.

§. XI.  
Adoramus in Spiritu & veritate per Mediatorem nostrum ut dictum est. *Qu. An Servator etiam Spiritum S. per suum meritum pro peccatoribus sit deprecatus?* Respondemus: omne deprecationis pro nobis momentum vertitur certe in merito nostri Salvatoris; igitur ejus preces etiam ad Spiritum S. sunt directæ, quem promisit nobis & dedit. *An adoratione Patris semet etiam filius intellexerit,* non videtur sub distinctione dicta dicendum; alias enim deberet sequi, Christum semetipsum adoravisse, saltem qua homo fuit. Adoratio autem est actus relativus inter adorantem & adoratum, personæ adeo, seu suppositi intelligentis est adoratio proprie dicta; ut Nestoria-

C

storia-

storianum foret ita loqui, cum figmento geminae personae in Christo, qui, quicquid facit, quicquid patitur, in una ipsi competit persona Divina.

§. XII.

Hymnus B. *Sinesii*, qui ita habet:

*Patrum omnium*

*Pater, Pater tui ipsius,*

*Ante-Pater sine Patre,*

*Fili tui ipsius.*

Et post:

*Tu es quod paris,*

*Tu es quod paritur.*

Et ibid.

*Cano Te Unitas;*

*Cano Te Trinitas;*

*Unitas es, Trinitas cum sis;*

*Trinitas es, Unitas cum sis,*

non videtur approbandus, nec ex *Augustino* explicatur *Epistola 66. ad Maximum Medicum, Patrem genuisse de se alterum se.* Neque enim hoc voluit *Augustinus*, ut potuerit appellari Pater sui ipsius, sed voluit consubstantialem Patri Filium ex Patre genitum esse. *ἀκυρόλογον* igitur existimamus, quod habet *Forbesius a Corse Instructio- num Hist. Theol. libr. I. C. 23. Quia Filius est Mediator inter Deum Trinitatem & homines, & quia unus ille Deus, quem in nomine Mediatoris invocamus, est veluti sui ipsius Filius.* Multo melius & cum diserta magis distinctione adorandae Trinitatis expressit *Prudentius Lib. Cathemerinon hymno 6.* ubi invocato Patre, essentialiter scil. intellecto, jam porro distingvit personas illarumque opem a singulis expetit hoc modo:

*Ades Pater supreme,*

*Quem nemo vidit unquam;*

*Patrisque sermo Christe*

*Et*

*Et Spiritus benigne.  
O Trinitatis hujus  
Vis una, lumen unum,  
Deus ex Deo perennis  
Deus ex utroque missus.*

Ita cavent Auctores Liturgias in officio myſteriorum ante consecratorum in *Bibl. Patrum Tom. II. Græco-Latino*, ut ἀσύγχυτος maneat (*inconfusa*) μία φύσις καὶ ἀρχὴ ἀτμῶτος *una natura & principium inſecabile*. Vocatur in iſta Liturgia identidem τὸ τριὰδινὸν i. e. *verſus de Trinitate*, quibus invocatur *expers principii Trinitas, impartibilis eſſentia, eodem inſidens throno unitas, ejuſdem honoris natura, principatibus ſuperior gloria, & regnum, ſerva nos, qui te fide canimus & celebramus*. Quod ita videtur expreſſiſſe *Auguſtinus in Doxologia Lib. III. contra Maximinum C. XII. Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt: cui Deo i. e. Patri & Filio & Spiritui S. quæ Trinitas unus eſt Deus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Sic in omnibus ejuſcemodi piorum veterum invocationibus, publicis præſertim, Deum in Spiritu & veritate invocatum videmus, evitata omnino confuſione perſonarum & proprietatum characteriſticarum, in quibus modus fundatur invocandarum perſonarum & ſeorſim & conjunctim.

§. XIII.

Hoc dicto Servatoris docemur etiam, ceremonialis & typica, in quibus, & ad quæ preces fundebantur in V. T. prorsus eſſe abrogata, & ita nec definita tempora, nec certa loca in Spiritu adoraturis eſſe obſervanda, tanquam a Deo dictata.

III 2

C 2

CAPUT

CAPUT III.

Continens Adversariorum  
refutationem.

§. I.

**F**ortissima hic argumenta sunt ipsius Filii Dei de vero adorationis objecto. *Deus est Spiritus*, inquit: Ergo membra ipsi & corpus & quæ spiritualitatem fastidiunt, omnino denegantur. Inde hæretici veteres & novi non possunt haberi, licet videantur approbare tres esse in una Deitate adoranda personas, vere religiosi cultores, & qui Spiritum habeant ex veritate & veritatem in Spiritu agnoscant.

§. II.

Nolumus igitur hic refutare, qui ab omni religione Christiana sunt alieni, ut sunt Gentiles, Muhammedani, Judæi, Photiniani, Sociniani, & similes, qui negant Divinitatem unam in personarum Trinitate, quemadmodum & veteres hærefes, quales fuerunt Manichæorum, partes corporeas Deo tribuentium; Anthropomorphitarum, figuram humanam; Messalianorum, sensibilem naturam Deo affingentium, silentio præterimus, nec attingimus, qui Spiritum quidem crepant, sed veritatem Trinitatis nolunt agnoscere, contenti trium nominum declaratione unum Deum indicari, quæ a Theologis in Locis Comm. crebro discutuntur. In quæstiones igitur seqv. nos immitteremus, consideraturi: an possint in Spiritu & veritate adorare Deum Papistæ, Reformati, ut volunt vocari, Doctores; Arminiani, Pietistæ, ac qui revelationibus & Enthusiasmo sunt dediti?

§. III.

§. III.

Videamus primo de Papistis, qui adorationem Dei veri omnino habere, eumque in Trinitate unum venerari præsumunt. Audiamus autem quid obstet, quo minus possint cultores religiosi dici. Unus certe Deus est, qui solus a Filio dicitur adorandus. *Job. XVII. 3.* scil. in tota sua Divinitate, quæ est Patris, Filii & Spiritus S. est adorandus, absque comparatione ullius creaturæ, quæ in eam collocanda sit Majestatem. Quemadmodum enim tota ratio salutis in mysteriorum horum geminorum notitia consistit, ut (1.) habeamus cognitum Deum in Trinitate & solum adorandum, ita (2.) consistit in notitia & fide unius ex Trinitate Mediatoris, qui est Filius, hæres universi, uti diserte docet Salvator *Job. XVII. 3.* *Hæc est vita æterna, ut Te agnoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Quæ si vera sunt, uti verissima sine dubio juxta dictum aliud Salvatoris, *Matth. IV. 10.* *Deum tuum adorabis & illi soli servies;* jam adoratio angelorum & Sanctorum ut & imaginum apud Papistas non potest esse adoratio in Spiritu & veritate. Recte in Capitulari Synodi Francofurt. apud *Forbesium a Corse Instruct. Hist. Theol. lib. 7. Cap. 10. §. 8.* a Carolo M. Imperatore definitur: *creaturam adorari eique divina aliquid servitutis impendi nefas ducimus, hujusque sceleris patratorem detestandum atque anathematizandum libera voce proclamamus.* Vid. de his etiam *Epiphanius, hæc. 79.* quem Pontificii nullo suo artificio unquam refutabunt alienaturi a se Christianis indignissimum crimen idololatriæ.

§. IV.

Quid dicemus de adoratione panis in S. Eucharistia, qui ideo non dispensatur, ut adoretur, præsertim, cum extra communionem sit sine unione corporis Christi; sed ut comedatur, eoque interveniente communicetur

ipsum sanctissimum corpus Christi, juxta clarissima verba institutæ Cœnæ, quod accepto pane Christus dederit corpus suum manducandum, in unionem scil. mysticam S. Cœnam percipientium, qua expurgati olim in corpore suo debeant præstolari gloriosam resurrectionem.

§. V.  
De adoratione Filii Dei in sua humanitate quanta cum impietate avertantur Papistæ in religiosa ejus adoratione, fatis animadvertunt fideles, cum impiam ipsorum hypothefin considerant: hominem Christum non esse adorandum cultu λατρείας, sed cum matre sua cultu ὑπεεδουλείας, qua distinctionum vanitate omnis corruius cultus Dei, qui est in Spiritu & veritate. Quando enim Christus ut homo a Patre introducitur in mundum omni creaturæ in cœlis & in terris adorandus, *Hebr. I. 6. Col. I. 16.* jam ejus adoratio non æquatur adorationi suæ matris, quæ impia est, ut audivimus ex Epiphanio, sed totus Christus, Deus & homo una adoratione secundum Anathematis *Cyrilli* & decreta Concilii Ephesini est adorandus una certa adoratione omnino æquali cum Patre & Spiritu S. quia homo factus Deus communem accepit SS. Trinitatis Majestatem, eamque gloriam, quam habuit ab æterno apud Patrem extra carnem existens. *Joh. XVII. Athanasius* de adoratione Christi ita verissime tenet contra Arianos in Epist. ad Adelphium Episcopum: *non enim, inquit, creaturam adoramus, absit; in Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit, sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est, neque istiusmodi corpus seorsim discriminatum a Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi Verbum a carne longe seponimus, sed cum sciamus, ut dictum est, Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm Deum*  
agno-

agnoscimus &c. Et post pauca: Non enim caro ignominiam attulit Verbo Dei, absit; sed potius caro per Verbum glorificata est. Neque ideo, quia servilem formam assumpsit Filius, qui in forma Dei est, quicquam diminutus est in sua Deitate, sed potius universæ carnis rerumque creatarum inde liberator & vindex effectus est. Factus enim est homo, ut nos in se ipso Deificaret, genitusque a fœmina est & procreatus a virgine, ut nostri errabundam procreationem in se transferret, ac in posterum efficeremur genus sanctum, ac participes divinæ naturæ redderemur, ut ait S. Petrus Apostolus. Adjicimus hic Cap. VIII. Concilii Ephesini: Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum Deo verbo & conglorificandum & nuncupandum Deum tanquam alterum cum altero, (nam con syllaba superadjecta hæc cogit intelligi,) ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit. Fundamentum hujus controversiæ eleganter expressit vetustissimus Scriptor Dionysius Areopagita Epist. IV. p. 767. Οὐ κατὰ Θεὸν τὰ Θεῖα δράσας, ἔ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδροθέεντος Θεῶ, καινήν τινα τὴν θεανδρικήν ἐνέργειαν, ἡμῖν πεπολιτευμένον.

§. VI.

Hæc scilicet est adoratio in Spiritu & veritate, quæ objectum habet adorationis ex clara veritate propositum, quod hic est in Divinitate humanitas, & in humanitate Divinitas, ubi Christus Servator secundum utramque naturam una adoratione devotissime colitur, non certe nuda creatura, sed creatura in Deum assumpta, ex unione personali participans omnem supremæ Majestatis gloriam.

§. VII.

Quid jam sit sentiendum de adoratione corporis Christi in Missa & in processionibus, patefecerunt nostri

Do-

Doctores in *Aug. Conf. Art. XXI. in Apolog. Art. X. & in Smalc. art.* ad quam Confessionem merito nos hic ut veritatis confessores ad nostrum symbolum recipimus. Totum certe id quod est in S. communionem cum corpore & sanguine Christi non est adorandum; non enim vehiculum Divinitatis adoratur, sed adorandum est corpus & sanguis Christi secundum statum suæ cum infinita persona λόγος unionis. Inanis adeo hic est omnis religiositas & præsumptio adorationis in veritate, cum non possit esse cultus verus absque manifesto objecto adorationis in veritate, ex qua una oritur Spiritus adorationis.

§. VIII.

Possent infinita hic perstringi, quæ habet Papæa idolomania in objecto & modo religiosi cultus; sed occupaverunt etiam id argumentum Doctores nostri infinitis fere in locis, in quibus tractaverunt de abominatione adorationis creaturarum, vanissimo conatu obvertentibus Papistis distinctiones de λατρεία, ὑπερδουλεία & δουλεία, adeoque de servitute civili & religiosa, quæ omnia & fastidit Scriptura recensere & attentus licet fidelis animo suo non potest capere, aut in actu adorationis discernere. Quis enim simplicium fidelium præsertim cum assumptione illarum distinctionum objectum adorandum sibi poterit proponere? quod nunquam fere faciet eruditus & exercitatus. An adjecturus est semper in mente sua; ego Te Salvatorem adoro in humanitate tua, non secundum λατρείαν, quæ vero Deo competit & infinito Bono, sed secundum ὑπερδουλείαν? Similiter, Mariam ego te compello secundum ὑπερδουλείαν? quam distinctionem ipsa nunquam audivit, nec a λατρεία potest discernere, imo cum καρδιογνωσίαν non habeat, non potest in animo adorantis distingvere. Sic & alii Sancti eam δουλείας venerationem nunquam voluerunt nec animo

mo



mo suo perceperunt, cum soli Deo sit religiosa servitu-  
te serviendum, quod est primi præcepti æternum axio-  
ma, non communicandum cum ulla creatura. Has tr-  
cas sibi & aliis faciunt adoratores Papæi absque spiritu &  
veritate. Quam abominabilis fuerit applicatio Psalterii  
Davidici in honorem Mariæ virginis a *Bonaventura*  
blaspheme admodum confecta, facile norunt pii, qui sum-  
mi Numinis adorationem ipsi soli servandam fideliter  
censent. Conf. hic passim Doctores nostri in *Art. Smalcald.*  
& in *Examine Concilii Trid.* ad quos brevitatis causa nos hic  
referimus.

§. IX.

*Masenius Jesuita in meditata Concordia* sua multitudine  
dictorum exemplorumque biblicorum vane allegato-  
rum se evincere posse existimat, *Sanctos licite, ut in com-  
munionem coram Deo, quæ cælum impleat & terram, constitu-  
tos posse adorari, cum sint intercessores pro fratribus, & ita  
mediatores recte dici, uti Moses fuerit inter Deum ac populum,  
Christo servata ea mediatione & intercessione, quæ sit Redem-  
toris.* Porro docet, ut concordia quæsitæ aliquem co-  
lorem faciat: *liberam eam esse pietatem, consuli non præci-  
pi; suaderi exemplis, non imperio. Repugnare etiam asserit  
honori Divino, petere a Deo, ut is pro nobis intercedat. Ita  
& Christo repugnare, nisi qua homo sit, i. e. submittere se Deo  
supplicem.* Ad quæ respondemus primo: Dignam esse  
certe irreligiosa i. e. Jesuitica pietate hanc eruditionem:  
Sacra enim Scriptura nescit distinctionem inter mediato-  
rem intercessionis & redemptionis, nec præter Christum  
quisquam inter Deum & peccatores se medium ferre  
potest, nisi redemptionis pretio sit conspicuus. *1. Tim. II. 5.*  
Moses quidem nunquam dicitur in tota Scriptura S. me-  
diator inter Deum & populum. Locus igitur ad *Gal. III.*  
*19.* perperam allegatur, ubi lex dicitur manu mediatoris,  
D i. e.

i. e. ipsius Christi, qui auctor suæ legis erat, angelorum ministerio perlata. Et Mosen non potuisse occupare partes mediatoris clarum est, quia non agebat causam utriusque partis diffidentis, ratione officii, ut Legislatores erat, sed Dei tantum, per legem. Expresse autem Paulus loco ad Gal. cit. docet, mediatorem non esse unius: Deum autem esse unum, cuius partes Moses egerit, absque mediatione. In communionem Sanctorum alii pro aliis orant, vivi pro vivis, & a se invicem presentibus obtinent intercessionem, quæ ad statum presentis questionis non pertinent, qui hic est: *An Sancti demortui, atque adeo absentes, tanquam presentes, a nobis religiose adorari possint, ut vi suorum meritorum pro nobis intercedant?* Aliena igitur sunt illa dicta & exempla. *Secundo*: Quæ de libera pietate injicit Jesuita, quæ consulatur, non præcipiatur, vanissimi sunt momenti. Si enim libera est pietas, quomodo ejus exercitium dicitur repugnare honori Dei & Christi juxta Divinitatem? Si non repugnat, necessario adorandi sunt Sancti ut intercessores; statu Ecclesiæ militantis ita requirente, qui indiget precibus in communionem Sanctorum. Deinde vera pietas contra placitum honoremque Divinæ Majestatis nil suadet aut consulit; neque enim communicat suum cum creatura honorem adorationis Deus, nisi sit assumpta in unionem personæ Divinæ, qui Christo competit. Conf. *Esa. XLIII. 11. XLV. 23. Rom. XIV. 11. Phil. II. 10. Hebr. I. 6.* Nec hic quicquam est solidi exempli in allegatis factis piorum, quæ omnia extra controversiæ statum esse deprehenduntur. *Tertio*: Si repugnat honori Divino, Deum intercedere apud Deum, jam frustra & impie creditur Deus in carne manifestatus, qui gentibus prædicatus est ut Mediator & efficacissimus inter Deum & homines intercessor. *1. Tim. III. 16.* Ita scilicet creditur unio personalis duarum in Christo natura-

tura-

turarum, ut negetur Filius Dei esse homo, quia negatur esse ut Filius Dei apud Patrem intercessor. Deus vero sanguinis sui effusione apud proprium Patrem non intercederet? An Filius Dei est tantum secundum humanam naturam? Scilicet juxta humanam tantum naturam apud illos homines Christus est Mediator, cum Verbum caro factum sit, ut victima pro nobis fieret. *Act. XX. 28.* An secundum solam humanitatem Christus supplex factus est Patri? Ergo secundum solam humanitatem pro nobis est passus. Vera igitur fuerit *Nestorii* blasphemia: *noli gloriari Judæe, non enim Deum sed hominem crucifixisti.* Ita igitur & *Hormista* Pontifex Romanus recte negavit personam ex Trinitate esse crucifixam, aut fatendum est *Jesuitæ*, falsam esse *Johannis II.* Pontificis oppositam *Hormistæ* affirmationem. Tales sunt compositores pacis religiosæ in Papatu.

#### §. X.

Habeantne meliorem in Spiritu & veritate adorationem, qui se Doctores Reformatos nominant, quam illi modo dicti, paucis etiam adnotabimus. Negant hi, Christo homini esse communicatam omniscientiam & omnipotentiam Divinam, & ita subruunt fundamentum adorandæ humanitatis in Spiritu & veritate, cum tamen unius Christi secundum utramque naturam una tantum fit adoratio, ut jam supra audivimus. Quæ hic veritas poterit esse, & qui Spiritus in adoratione Patris, qui extra Filium salutariter non adoratur? & quæ confidentia adorantis, si adorandum non credit esse omniscium aut omnipotentem? In quo fundamento & *Papistæ* sunt arguendi idololatriæ, ut & alii, qui evertam ad infinitam Majestatem Dei negant humanam naturam in Christo.

Ut brevitatis studiosi duo tantum monebimus. *Primo* propter fautores absoluti decreti non posse fieri, ut Pater compelletur in Spiritu & veritate, qui negatur esse Pater misericordiarum, qui nolit ullum hominem perire, sed omnes ad agnitionem suæ veritatis velit pervenire. In statu veræ filiationis coram Deo omnino amore nitimur Patris cœlestis inque universali merito Filii, in quo aditum habemus ad Patrem, & per quem habemus promissionem æternæ hæreditatis, quæ certe non habet fundamentum in absoluto Electionis decreto, sed in universali gratia Dei erga omnes peccatores. Vid. *fundamentalis Deductio Theologorum Marpurgens.* in explicatione orationis Dom. qua evidenter demonstratur, non esse Spiritum adorationis in veritate in Schola horum Doctorum. *Cap. V. Deductionis.* *Secundo*: Mirandum igitur est, hos Doctores, postquam ante multa tempora bonitate causæ exciderunt ipsorum Antecessores, jam denuo hac tempestate desiderare spiritualem nobiscum fraternitatem, quando nil habent nobiscum nec possunt habere in unitate Spiritus & veritatis; quæ distracta esset admodum fraternitas, merusque unitatis & veritatis fucus, ut oppido invenitur in omnibus, qui verbotenus veritatem & Spiritum se amplecti gloriantur, ipso autem recessu mentis vero non habent. Certe non videmus, quid solatii in animo hominis tentati ex absoluto Electionis & Reprobationis decreto possit sequi. *Fides est ex auditu & auditus ex verbo Dei. Rom. X. 17.* Fides autem non est ex auditu, nisi recipiatur verbum ex auditu audientis animum percellens & persuadens. Apud non-recipientem seu recusantem nunquam orietur fides, quæ auscultatione verbi non applicata fastiditur. *Quotquot enim receperunt Deum, illis dedit potentiam fieri filios Dei.*

Dei.

*Dei. Job. 1.12. & verbum predicantium non iudabat auditores, cum non credebant, qui audiebant. Hebr. IV. 2.* Sola igitur auditio non facit fideles, sed auditionis receptio. Fides est persuasio mentis ex promissione ad nos pertinente, non est effectus auditi verbi, absoluto amore Dei & citra conditionem applicationis in animo auscultantium agentis, ut docent, qui homines absolute electos volunt, auditione verbi necessario converti, quod dogma tam est absurdum, ut omnem defœdet religionem pietatis & universum religiosæ invocationis fundamentum subvertat. In *Schola tentationum Casmannus*, quando allocutione sua in animo tentati nil potest efficere, dicit: *illum hominem esse dimittendum, & nil amplius ipsi ex gratia Dei proponendum ut reprobis, & qui absolute sit rejectus.* Miratus sum semper, *Maresium* in suo *Syst.* pro absoluto decreto adeo depugnare, ut malit sibi omnia eripi, quam hoc dogma a se ignorari. Scil. in sensu fidei semel percepto credit non posse fieri, ut fide unquam excidat. Quam autem jejunum hoc sit fidei statusque fidelis fundamentum, ostendit clarissime *B. Balth. Mentzerus* sen. contra *Theologos Embdanos.*

## §. XII.

In sensu fidei collocare fiduciam status est fallere ipsum suum statum, qui in intellectu & voluntate sistitur, inque animo nostro deserto verbo asseritur & confirmatur. Scil. intelligimus statum filiationis nostræ ex promissionibus Divinis, juxta illud Paulinum *Rom. VIII. 38.* *πέπεισμαι, persuasus sum*, claro scil. verbo promissionis; non dicit: sentio, sed: deduco in animum meum ex promissione oblata, & omni tentationi hanc persuasionem oppono, *ut certus sim*, (quemadmodum vertit *Lutherus: Ich bin gewiß / non ex sensu) nihil me posse eripere ex manu Dei &c.* Habeat *Maresius* sibi inanem illam in abso-

luto decreto & sensu fidei fundatam opinionem, & audiatur *Casmanum*, quam misere possit tentatum consolari. Conf. de adoratione una totius Christi, quæ observavimus ad *Syst. Maresii*, Loc. de Christo, *observ. ad §. 34.* Maledicta fit illa Theologia, quæ humanitatem Christi in officio redemptionis humanæ non aliter considerat, quam purpuram in Rege.

§. XIII.

Doctissimus facile inter Arminianos *Philippus a Limborch* religiosam in Spiritu adorationem multis nebulis obfuscat, quas partim Socinianis, partim Reformatæ religionis fociis debet. Locum præsentem nostrum ita censet explicandum: *Adorationem h. l. significare per synecdochen totum Dei cultum, præsertim externum sub V. T. usitatum, cujus pars insignis fuerit adoratio; quod fieri non posset, nisi & actum honoris externum includeret. Non enim contendisse Samaritanos & Judæos solummodo de loco adorationis, sed & sacrificiorum offerendorum, adeoque totius cultus externi; & ascendentes Hierusalem non solum Deum adoravisse, sed & illi sacrificavisse.* Ut, quæ hic sunt nebulæ, discutiantur, attendenda est explicatio hujus Doctoris, quando adorationem ab invocatione distingvit & Christo Mediatori cultum quidem Divinum assignat, sed cultu Patris inferiorem. Scilicet, distingvit adorationem religiosam a civili, recte quidem, sed religiosæ adimit invocationem, & adorationi tantum agnitionem Majestatis excelsæ tribuit, invocationi autem petitionem obtinendorum bonorum desideratorum. Mediatorem Christum invocari tunc ut Mediatorem subvectum ad Majestatem in cœlis & ad dextram Patris sedentem, unde etiam ipsi invocatio competat, sed quæ Patris invocatione fit inferior. Quibus argutiis respondemus *primo*: Scripturam S. distinctionem inter adorationem religiosam & invocatio-

tio-

tionem ignorare, & qui in diebus carnis adoraverunt Christum, eos non externis tantum gestibus civiliter eum honoravisse, sed religiosa & intima animi devotione, ejus Majestate Divina agnita, bona spiritualia & corporalia desiderata tanquam a Domino ipso impetravisse. Qui itaque vera fide ipsum ita adorarunt seu invocarunt, non civili tantum cultu, sed maxime spirituali ea obtinuerunt. *Secundo*: In eo latet omne vitium præsentis spiritualis adorationis apud Arminianos, quod Christo Mediatori aliam tribuant in actu adorationis auctoritatem Divinam, quam habet Pater; cum Pater velit honorari Filium, quemadmodum ipse honoratur, & Filius a Patre precibus suis obtinuerit, ut ea gloria imbueretur, secundum humanitatem scilicet, quam habebat ab æterno in Divinitate sua. *Tertio*: Quomodo igitur hic docebitur recte Pater esse adorandus in Spiritu & veritate, quando fundamentum vere religiosæ adorationis, quod est Christus, infinito suo merito coram Patre ut omnipotentem Regem nostrum se sistens, diruitur? Pater nunquam adorabitur in Spiritu, nisi Spiritus nostri devotio intime inhæreat in satisfactione & intercessione Christi pro nobis. Ita patet aditus per Filium unicum verum & hæredem vitæ æternæ nobis filiis adoptivis & cohæredibus Christi. Quo subtiliores sunt hæ nebulæ, eo studiosius sunt cavendæ & dispellendæ. Videmus hic lubricitatem Arminianæ religionis, quæ excusat id in aliis falsis religionibus, quod excusandum non est, & fingit sibi dogmata, quæ veritatem diam impugnant. Nonne hic dicendum est, quod Servator mulieri Samaritanæ dixit: *Nescitis quid adoratis?*

§. XIV.

Quæ spiritualitas hic fit Pietistarum cum Enthusiasticis diserte colludentium, id proh dolor! tristi admodum expe-

experientia superioribus annis admodum clare patuit & adhucdum patet, dum revelationibus extra verbum indulgent & privatis suis collegiis Colloquiisque id omnino effecerunt, ut plurimi inter eos vanissima imitatione ecstaseos Paulinæ projecti in terram & in somnum prolapsi mira evomuerint Spiritui veritatis omnino adversa. Historia *Quedlinburgensis, ancille & Halberstadensis* cum *Achille* in Enthusiasmo illo nos satis informabunt, quem admodum & nimia carnalia fata non spiritualia virginis *Assenburgiae*, cujus patrocinium, quod cum dolore dicimus, vanissimum *Petersenius* suscepit cum prostitutione bonæ eruditionis bonorumque morum, quibus se *Gieslæ* studiis operatus commendabat. Potest de his videri *Gynaceum Fanaticum D. Feustkingii Præpositi Kembergensis*.

§. XV.

Irreligiosis his Spiritualibus se optimo merito in *Hassia* etiam opposuit max: *Rev: Dn. Hedingerus*, quando solidissime in *Disp. publica §. 8.* ostendit, *Scripturæ sensum non esse, qui interpreti videatur. Si dicas, inquit, credere oportet, hunc non alium sensum esse, plane fit ἀσυλλογίσως. Cedo enim causam, cur credere debeam. An quod illuminatus sis? Sed hoc nondum probasti. Etiam illuminati falluntur. An quod testimonium habeas Spiritus S.? Sed unde nosti te habere, nisi testimonium internum cum externo in literali sensu conspiret. Quapropter vulgatum illud: (scil. in Schola Fanaticorum) nova luce indiget, qui Scripturas interpretetur & prophetias, & Prophetæ testantur de luce nova, circulum habet manifestum. Ita falsissimum est, oppido notat Scriptor eruditus, sensum literalem & historicum minimum esse, mysticum & spirituales fidelibus unice perspectum, potiori loco habendum, ceu clavem mentis Divinæ. En aper-  
tum Enthusiasmum Pietistarum, in quo uti nil est ve-  
rita-*



ritatis cœlestis, ita non potest esse invocatio Patris in Spiritu.

§. XVI.

Solent identidem ad palliandum Enthufiasmum hoc dictum opponere nobis Naturalistæ cum Pietistis & Fanaticis omnibus, qui spirituales volunt præ cœteris esse, interpretantes verba Christi, *quod a Spiritu debeamus ordini pietatem & inde veritatem percipere.* Quodsi Orthodoxus diceret, explicationem ex analogia fidei sibi constare, cum Spiritus S. per verbum veritatem in nobis operetur, qui nunquam sine verbo ordinarie agit. Sed Salvatoris nostri sententia hæc est h.l. qua veritas opponitur umbris & figuris & mendacio seu falsitati, ut supra habuimus. Spiritus igitur revelator hic est veritatis, quæ adeo ejus effectus merito dicitur. Nil igitur hinc obtinetur pro Fanaticismo illo, qui nobis eriperet omnem & Spiritum & veritatem in vera adoratione.

CAPUT IV.

Quæ ex supra deductis in praxin Pietatis defluunt.

§. I.

JAm ad praxin vitæ sunt accommodanda, quæ Capitibus præc. in exegefi thetica & antithetica recensuimus. Nam adoratio religiosa est vere practica, & hic finis est Theologiæ nostræ, ut Deum in regno gratiæ rite colamus, & in regno gloriæ cultum æternum gloriosum cum angelis & beatis omnibus occupemus. Hoc Scripturarum usu perfectus fit homo Dei ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. III. 16. & servantes eam recti cynosuram depositumque cœleste nos ipsos salvamus & qui nos audiunt, 1. Tim. IV. 16. Quandoquidem igitur non

E

tam

tam Evangelista θεόπνευστος, quam ipse substantialis λόγος  
θεῶς sanctissimo ore suo nos hic voluit informare, quo-  
modo verus Dei cultus sit tenendus, quale ejus funda-  
mentum sit, quæ causa & ratio, ut adoratores veri sint  
& accepti, adeoque Deus Spiritus spiritualiter vere cola-  
tur, ideo nunc cum attentione debita maxime hæc pra-  
xis est introspectenda. Faciemus, ut consuevimus face-  
re, distinctis §§. quæ & necessaria & utilia in hunc sco-  
pum sumus æstimaturi.

§. II.

Statim hic ab initio quæritur: *quomodo Deus adoranti  
in sua devotione possit representari*; Spiritus non potest vi-  
deri, ergo in idea sensibili non representari animo no-  
stro: ita enim nobis formaremus ideam Deo adversam,  
vel saltem non convenientem. Ideo Deus in V. T. seve-  
re prohibuit, in cultu suo figuras & formas externas  
sibi fieri. At vero is qui adoratur, debet tamen aliquo  
modo devotioni nostræ sisti ut præsens & sic adorandus?  
*Respondetur*: repræsentationem illam esse mere intellectu-  
alem, quæ a cognitione essentiæ infinitæ, tum maxime a  
nominibus Dei personalibus, quibus nobis sistitur ut Crea-  
tor, ut Redemptor, ut Sanctificator, verissime illustratur;  
hoc enim conceptu, quo se explicuerunt SS. Trinitatis  
personæ in singularibus suis officiis, mens & fides no-  
stra Deum vere representat. Adeoque hæc est spiri-  
tualis vere invocatio, cum oro: Deus æternæ, qui es  
Creator meus & Conservator; qui es Redemptor meus,  
& me liberaisti a potestate Satanæ & mortis; qui es San-  
ctificator meus remissione peccatorum per Christum, &  
sanctificationem filiationis per verbum & Sacramenta  
mihi elargiris. Nec opus nunc est alia hic repræsentatione,  
quæ quasi ocularis habeatur animo concepta, quo  
conceptu falluntur omnes, qui imagines adorant & ex-  
ter-

ternum aliquod schema pro numine colunt. In V. T. ut supra habuimus, cultus Divinus maxime erat typicus & umbratilis, is, Salvatore docente, est sublatus, non igitur est reducendus a veris adoratoribus, qui in veritate revelata acquiescunt, & in devotione sua Spiritum tenent, quo Deus vere vult coli. Potest hic conferri, si placet, Dissertatio nostra de *Representatione Dei cum adoratur.*

### §. III.

*Itane adorans in Spiritu debet etiam adorare & potest adorare Filium hominis?* Jam etiam supra respondimus, secundam SS. Trinitatis personam recipiendo in se humanitatem communicavisse omnem illi suam Majestatem, & receptam eam esse in consortium throni infiniti, & ita a cultu unius veri Dei non posse nec debere excludi. Homo igitur adoratur in Christo, sed Majestate Divina & potestate regendi omnes creaturas pollens, ad quem certe pertinet cultus adorationis; quin imo absque hoc cultu filii hominis Deus vero cultu nunquam celebraretur.

### §. IV.

Recensebimus igitur conditiones menti infigendas, quibus adoratio vera in exercitio nostro sistitur; Conditio seu requisitum *primum* existimamus esse *pietatem veram* seu *cor purum*, quod fides præstat; fide enim purificantur corda, & credenti omnia sunt pura *Jac. I. 6.* prorsus juxta dictum Veterum.

*Ut tua pertingat penetretque oratio cælos,  
Corde sit ex puro, sit brevis atque frequens.*

Puritas omnino hic intelligenda est fidei, qua teguntur peccata, simul & puritas perpurgata a pravitate & conscientia mala, cui identidem fideles imbecilles in suo

statu immiscentur. Hic conscientiam integram requirimus, non prorsus nesciam peccatorum, sed habentem fiduciam remissionis per veram pœnitentiam. Et hæc est magna illa virtus deprecantis, quæ humilitas & modestia dicitur, cum meminimus, negotium nobis esse in hoc devoto alloquio cum supremo rerum Domino, cui *cælum est solium, & terra scabellum ejus pedum, Luc. I. 32. 33. Esa. LXVI. 1. 2. coram cujus Majestate ipsi Seraphim facies occultant. Esa. VI. 2.* Quam venerationem simul nobis conscientia vilitatis nostræ suggerit, quia *pulvis sumus & terra, Gen. XVIII. 27. imo terra putrida & multa fœditate maculata; Job. XIV. 4.* Qualem confessionem in deprecationibus Sanctorum, *Mosis, Danielis, Davidis*, identidem offendimus. Publicanus *Luc. XVIII. 10. seqq.* nil nisi misericordiam Dei in sua petitione respiciebat, conscientia peccatorum suorum in infernum usque detrusus.

§. V.

Requisitum *alterum* dicemus *exercitium charitatis erga proximum*, ne odio aut invidia aut vindicta onerati, ad subsellium hoc gratiæ & Divinæ benignitatis thronum procedamus. Cum enim remissio peccatorum sit primum donum, quod invocator religiosus vult obtinere, omnino animum debet afferre proximo reconciliatum & amicum, siquidem vitia illa enarrata elidunt gratiam erga nos paternam. *Matth. VI. 14. 15.*

§. IV.

Requiritur *tertio intentio* in obtinendo bono, quod desideramus, *optima*, ut id, quod obtinuimus, non aliter, quam in gloriam Dei & commodum proximi convertamus, una cum ea utilitate, quæ nobis conveniens & propria judicabitur, *Jac. IV. 3. petitis & non accipitis,*

*tis, eo quod male petitis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

### §. VII.

Requiritur *quarto* intentionis bonæ & totius devotionis spiritualis *fervor*, ne finamus divagari cogitationes nostras, *Jac. V. 16. multum valet deprecatio justî efficax, & Paulus jubet orare in spiritu & vigilare cum omni instantia. Eph. VI. 18. Col. IV. 2.* Ita precatos novimus *Mosen, Ex. XVII. 11. 12. Eliam, 1. Reg. XVIII. 42.* ipsum *Salvatorem* nostrum, præsertim cum in conflictu mortis & inferni in crasso sanguinis sudore tempore passionis consternatus humi procumberet. *Luc. XXII. 44.* Commendatur etiam *quinto* brevitas ad vitandam βαττολογία, *Matth. VI. 7.* & assiduitas seu constantia fidelis obtinendi desiderii. *1. Thess. V. 17.*

### §. VIII.

Si precationem hanc aut invocationem Patris cœlestis definire volumus, ex dictis id facile fiet; Esse scil. implorationem vel voce diferta, vel arcana mente factam, qua nobis salutaria & bona cum certa fiducia obtinendi desiderii per meritum Servatoris nostri Jesu Christi postulamus. Hac precatione omnino agnoscimus vera fide Deum unum, omnipotentem, optimum, omnipræsentem, omniscium, benevolentissimum, quæ axiomata adorabilitatem nominis ostendunt commendantque, ac devotionem nostram exacte suscitant. *Act. I. 24.* Apostoli Dominum ita in precatione alloquuntur: *Tu Domine, qui corda nosti omnium; Act. IV. 24. qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, & Jac. I. 5. qui dat omnibus affluenter & non improperat. &c.*

§. IX.

*Frequentem esse orationem oportet, ne fatigemur mora, non obtinentes statim desideria nostra. Nec tamen necessarium est voce semper idem precari, sed sufficiunt suspiria fidelia status, quæ sunt incessantes preces filiorum Dei, Ps. X. 17. desideria miserorum audis Domine, & cor ipsorum in exauditione tua acquiescit.*

§. X.

Hæc requisita fidelis preces ita se habent, ut secundum exegetin status hominis scientis, non secundum necessitatem in imbecilibus habendam, teneantur; siquidem hic maxime intentio devotionis citra illam exegetin militat. Deus enim respicit cor & fidem orantis, non secundum quantitatem & verbo prolatam orationem, sed secundum veritatem & fidele desiderium, in quo est vera Spiritus & veritatis conjunctio. Conf. hic *Rom. VIII, 26.*

§. XI.

Formam preces in toto terrarum orbe & omnium bibliothecarum scrutiniò non habemus meliorem & in compendio uberiores, quam, quæ est *Orationis Dom.* Hæc a Domino Dominorum data, & quidem revelato in carne in redemptionem humani generis, simul id, quod Salvator ipse in dicto nostro vult observari, commendat, ut hac formula a Filio ipso Salvatore proposita filii Dei ad gremium Patris cœlestis & ad scabellum ejus pedum provoluti cum magna fiducia obtinendi desiderati boni accedant. *Hebr. IV. 16.* Est igitur illa oratio propria N. T. In V. quidem etiam multæ formulæ preces præsertim in Psalms Davidicis occurrunt, quibus & in N. T. possu-

possumus uti; talis autem in toto V. T. non occurrit, & quæ occurrunt, emphasin excitandæ in nobis filiationis, qua hæc pollet, non præferunt.

### §. XII.

Certe formula hæc continet omne bonum, quod & in spiritualibus ut filii Dei fideliter expectamus, & quod in corporalibus hujus vitæ necessitati subvenit. Cœterum hæc alibi fusius tractantur.

### §. XIII.

Impedimenta devotionis nostræ peccata præsertim sunt proæretica, quæ autem turbant eam identidem, sunt nostræ phantasiæ & molestæ admodum in memoria occurritationes earum rerum & factorum, quorum nolimus meminisse. De quibus *Gregorius Hom. 2. in Evangelistas. Contradicit turba ne clamemus, quia peccatorum nostrorum phantasmata plerumque & in oratione patimur; sed necesse est, ut vox cordis nostri, quo durius repellitur, eo valentius insistat.*

### §. XIV.

Huc pertinet gravis illa quæstio de immediatis maligni Spiritus suggestionibus in animam hominis fidelis & devoti, de qua prolixè egimus in peculiari commentatione de *Turbelis phantasiæ in objecto præcipuo religiosæ pietatis*, in qua actum est distinctè tam de suggestionè immediata, quæ est in regno Satanæ apud incredulos, apud quos certe nimium frequens est immediata illa suggestio, quam de suggestionè apud fideles, quorum status filiationis non videtur pati ejusmodi Satanæ in anima pia infestationem, scil. secundum ordinariam status rationem, (& absque per-

permissione ac directione Divina.) Quod enim aliquan-  
 do & rarissime Deus in confusionem Satanæ & exerci-  
 tium militantis fidelis potest permittere, hic non dispu-  
 tamus. Salvanda nobis est status nostri confidentia,  
 quæ admodum foret infirma, si ejusmodi infestationem  
 nos in bonis cogitationibus turbare assertum vellemus.  
 Tota ratio status fidelis, modo experientia ipsa apud fi-  
 delem pie consulatur, hæc est: (1) *promissio inhabitantis*  
*SS. Trinitatis*; (2) *unio mystica cum Christo*; (3) *cla-*  
*mans in nobis Spiritus filiationis*; (4) *circumvallatio S.*  
*Angelorum*, quæ omnino suggestionem eam immedia-  
 tam (absque Dei permissione & directione) non tole-  
 rant. Sed unde sunt illa prava cogitata in nobis & identi-  
 dem abominabilia? Respondetur: Sunt ebullitiones no-  
 stræ phantasiæ, qua animus noster proprio motu sibi  
 revocat in memoriam, quæ aut scandalosa auditu aut vi-  
 su percepit, & quæ etiam ex innato peccati malo nobis  
 mira monstra efformamus, horrenda menti & fidei no-  
 stræ. Propositæ sunt in Comment. alleg. nonnullæ regulæ  
 ad elidendas phantasiæ turbelas, quæ possunt videri, si  
 placet, quarum summa hæc est: *molestias illas maledi-*  
*ctione & abominatione fideli esse contemnendas*. In qua ob-  
 servatione magna est *παρρησία* status fidelis, quem non  
 satis penetrant inexperti.

## §. XV.

Practica hic quæstio occurrit insignis: *An illi ado-*  
*ratores, qui communi Oratione Dom. nobiscum utuntur, in*  
*communi Spiritu orent & veritate? Vel: An nos possimus*  
*cum illis in adoratione religiosa uniti vere etiam adorare?* Vi-  
 detur enim id posse fieri, quando una vox & modus uni-  
 us precatationis videtur posse usurpari pro adoratione ve-  
 ra, quæ est in Spiritu; ita enim possumus interesse com-  
 munico-

munic-



munioni publicæ Hæreticorum, qui nobiscum unum Patrem cœlestem forma præscripta adorant. *Respondendum* est cum solida distinctione: possumus quidem interesse communioni publicæ hæreticæ, non ut in *Oratione Dom.* nos ipsis in Spiritu jungamus, sed audiendo dici ab ipsis *Orationem Dom.* nos tacita & privata devotione, Spiritu & mente ab ipsis separemus. Quæ responsio non debet eo torqueri, ac si in communionem externam Papisticam possimus habere mentem in Spiritu, & externo corporis gestu nos accommodare ipsorum idolomania: Ita enim profiteremur externe, quod in Spiritu merito abominamur, & detestandam committeremus hypocrisin. Habent quidem Hæretici nobiscum eandem precationis formulam, non autem habent nobiscum ejus fidelem exegefin, quæ requiritur, ut *Oratio Dom.* fiat in Spiritu & veritate: nam abbreviatus est sermo ejus & admodum compendiosus, qui in recessu tenet omnia Christianæ salutis fundamenta. Nam hoc ipsum monitum Servatoris, quod est in declarato nostro dicto, non potest sine fidei exegefi intelligi, ut supra habuimus, cum Deus vocatur Spiritus & Pater, & nos jubemur adorare in Spiritu & veritate. Non possumus igitur excusare Arminianos, qui non admodum curata fidei analogia ununt preces cum illis, qui in fundamento fidei Christianæ dissentiunt. Aliud est pro illis orare, quod postulat charitas Christiana, aliud cum illis, quod refugit vera fides.

§. XVI.

*Quid dicendum est, cum Minister Ecclesie irregentus, in unione alias doctrine & veritatis consentiens, malis moribus vitæque scandalosa pietatis exercitium & ita preces*  
F ctiam

*etiam suas pro communione subvertit?* At vero ejusmodi hominis preces, uti totum ejus Ministerium ex veritate & promissione Servatoris dependet, validissimæ omnino sunt, secundum exercitium & portionem ministerii in hac causa, siquidem Deus benedicit toti functioni, & exaudit preces absque respectu adorantis, qui fungitur beneficio Divino pro tota communione. Pro se quidem, seu sua persona, ut loquimur, nil obtinet talis precator in gratia spirituali, obtinet autem secundum promissionem communioni fidelium datam, & manens in externa illa functione secundum mandatum Ecclesiæ, vi functionis suæ externæ in benedictione temporali aliquid obtinere potest; Deus enim & impios aliquando respicit externa benedictione, ut paterne convertat. Subsistimus hic, & Deo Trinuni pro concessio auxilio grates persolvimus devotissimas. Ipsi sit laus, honor & gloria, in secula seculorum! Amen.

F I N I S.



ILLU.

ILLUSTRIS MAJORUM NOBILITATIS ET GENTILITIAE  
ANTIQUITATIS HAEREDI FELICISSIMO,

GENEROSO DOMINO

BALTHASARI HENRICO  
de PLATEN,

In Rugis Equiti,

OPTIMO, MERITISSIMO,

*Domino suo Fautori & Auditori aestumatisimo*

PHIL. LUD. HANNEKENIUS, D.

Prosperam in Domino salutem pr.

**Q**ui in *Rugis* Dignitatem Equestrem olim  
sunt meriti in militia adversus hostes, ce-  
lebritatem meruerant nominis, unde vir-  
tute sua inter Nobilissimos Gentis computa-  
bantur. Hoc *Tu* Domine Fautor, ut Patriæ  
Tuæ Historiarum callentissimus, me melius no-  
visti. Ego hæc tantum attingo ideo, ut apud  
Romanos meminerim fuisse eam Gentilitiam  
Nobilitatem, quæ a *Curuli Magistratu*, imo &  
ante eum, a *Romulo* Rege præcipuis Viris & pru-  
dentissimis Senatoribus fuit collata. Inde va-  
riæ postea ad Nobilitatem Romanam capessen-  
dam, ex Patriciorum Prærogativa, & aliis toga  
sagoque excellentibus modis, excitationes ani-  
mo-

morum evenerunt, ut ambitus Honorum & Reipubl. Dignitates animos occupaverant. Cera expressæ imagines Majorum, & in Atriis ædium cum insignibus variis dispositæ, postea in apparatu funerum cum longo comitatu Familiarum ostensæ cupidos honorum animos inflammabant admodum, & hæc vere tum Gentilitia Nobilitas credebatur. Sed virtutes postea domi forisque ostensæ Nobilitatem veriorum addebant, & resonabat apud Sapientes, quod *Juvenalis* habet:

*Tota licet veterum exornent undique ceræ  
Atria, Nobilitas sola est atque unica virtus.*  
Ita enim apud plebejos etiam, prudentia civili & militia æstimatos viros, Dignitates Nobilitatis & Magistratus sunt devolutæ, ne crederetur solis imaginibus & successione Gentis Nobilitatis Prærogativa constare; Quemadmodum & hodie ab Imperatore & Augustissimis Regibus hæ Prærogativæ ex condigno meritorum conferuntur. Tuæ Gentis dignitas in porvectione virtutum consistit, & gemino modo vere Nobilis est. Tu altius etiam ascendis, & uberius quiddam Genti Tuæ infers & Nobilitati, quod quo rarius est, eo magis est laudandum. So-  
lent

lent Nobiles Hominum functionibus politicis gaudere ; Tu vero instinctu admodum singulari, & vere Cœlesti, amore Theologiæ pie ex ambis functionibus Ecclesiasticis & Ministerialibus potiri. Sunt quidem alias in Historia Ecclesiastica hæc frequentia admodum exempla, quod Viri Gentilitia Nobilitate clari Ecclesiasticis fuerunt admoti officiis, & vel totus Papatus his exemplis abundat, quando Illustres & Principes Viri seposita humana illa Existimatione, Canonici, Præsules, Episcopi, Cardinales fuerunt effecti. In nostra Ecclesia tanti tituli, quod bonum est, non dominantur, qui pertinent ad regnum Antichristi. Habemus autem ea etiam exempla, quæ monstrant nobis Viros Illustres & Nobiles studium Theologiæ ex professo, & sacras functiones vera pietate, sine respectu Gentilitiæ suæ Nobilitatis, quæ nihilominus ipsis manebat, suscepisse. In mea memoria, quæ recens est, habeo Illustrem Dominum *Hoë ab Hoënegg, Primarium Electoralis Aulae Saxonicae Concionatorem*, simul & *B. Wellerum*, eadem auctoritate conspicuum, *B. Fuxium, Aulicum Ministrum in consiliis & Confessionibus sacris B. Sereniss. Principis Gustraviensis*

sis, & qui adhuc hodie clarissima fama splendent, Dominum *Krakevitz*, Prof. *Rostochiensem Excell.* & Dominum *Mascovium*, *Assessorem Consistorii Regii* & *Pastorem Wismariensem* optime meritum. Ante sesquiannum in ædibus meis, Collegiis itidem privatis & publicis, uti & in quotidiano triclinii commercio, habui *Antvberpiensem Canonicum* ex Illustri familia, Dominum *Ferdinandum Pauli a Wynegem*, qui veritatis Cœlestis agnitione & amore studii Theologici, tres annos exercitiis variis Academicis, Disputationibus & Concionibus publicis, veram Doctrinam admodum solide excoluit, & nunc apud *Celsissimum Comitem ab Alfeld*, *Majestatis Danicæ Consiliarium Status intimum*, & *Pro-Regem Holsatiae* &c. expectat sancti muneris in Ministerio functionem. Ordinatus jam erat in sacerdotem apud suos, antequam desereret singulari Divino tractu idolatricam Religionem. Ut taceamus *Georgium Anhaltinorum Principem*, & alios ejusmodi, quos copiose allegatos Lector offendet in *Principe Concionatore Plurimum Reverendi D. Goetzii Superint. Annabergensis*. Sed quid attinet in re clara & ad Historiam hanc spectantia

tia

tia Nobilium ad Theologiam toto studio con-  
versorum, exempla proferre. Quod Deus in  
Tuo animo excitavit singulare professionis The-  
ologicæ & sacri Ministerii desiderium, etiam  
sine exemplis Tuam pietatem Nobilissimam  
Deo & Ecclesiæ puriori propalam commendat.  
Disputatio, quam suscepisti in hunc finem, pu-  
blica ex *Dicto Joanneo, de vere religiosi Adora-  
toris Spiritu & Veritate* non tantum conatus  
tuos laudatissimos ostendit, verum infallibilia  
etiam omina suscitatur, quanto profectu Gentili-  
tiam Tuam sis aucturus Nobilitatem, & quan-  
tum vera in TE virtus in immortalem Gentis  
Tuæ laudem sit operatura. Deo laus esto devo-  
tissima per Christum JESUM Salvatorem no-  
strum, qui auctor sit salutaris hujus in TE & in  
posteritatis famam ituræ Nobilitatis. Gratu-  
lor hæc omnino toto pectore, tuoque me favo-  
ri, meosque serio commendo. Vale etiam at-  
que etiam, ut anima vales, ita & corpore pro-  
sperrime valeas. Scribebam e Museo anno  
salvifici Partus Virginei M D C C V. Id. Mart.

Bel-

**B**ellum alios sævoque juvat concurrere ferro,  
Et clarum spreta quærere morte decus.  
Tu paris ingenio Laudem & certamine sacro  
Te dignum antiqua nobilitate probas.

*Generoso atque doctissimo Juveni de egregio  
sacre eruditionis specimine ex animo  
gratulabatur*

**JO. GEORG. NEUMANN. D.**

---

**S**E iactet Hermus divite splendidus  
Spuma lapillos volvere lucidos:

Tu major exurgis, sacratiss

Cuncta logis pretiosa reddens.

Tu mentis expandis patulos sinus,

Exæstuantis indolis impetus:

Mirantur omnes hanc per Urbem,

Eusebie rediviva plaudit

*Generosissimo de PLATEN Equiti Rugo summa cum  
laude disputanti Lmq; gratulatus est*

**C. S. SCHVRFLEISCHIVS.**



Coll. Diss. A 1751, n. 10